

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

IX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

cum ipse confessionē illam habeat pro Zvingliana, & in postrema editione Sleidani, aperte hoc ipsum in margine posuerit: Confessio quatuor civitatum Cinghana, & Argentinensium Cinglianorum confessionis refutatio. Itaque decrevimus, summam petitionis nostræ repetere ex transactione cum Conrado Huberto. Omnino autem conabimur responsum in reditum tuæ Excell. differre, nisi urgeamur vehementius, quod tamen non putamus fore. Hæc de rebus nostris exaranda nunc putavi, de cæteris, M. Ulricus frater charissimus, vice epistolæ erit. Dign. tuam conjunx mea & filiulus officiosiss. salutant. Reverendo & Clar. viro, D. Doct. Kirchnero, functionem istam honorificam ex animo gratulor, atque ut alicujus inter nos familiaritatis Rev. tuæ Dign. tanquam proxeneta sit, etiam atque etiam peto. Bene in DOMINO vale, Reverende Domine pater, & ut ille apud Poëtam: Nil mihi scribas, attamen ipse veni. Argentorato, 4. Aprilis, 1580.

Rev. Dign. tua

observantiss. discipulus

Joh. Pappus.

Inscriptio.

Reverendissimo & clariss. viro, doctrina, pietate & autoritate excellentissimo, D. Johanni Marbachio, S. Theologiae Doctore & Professore celeberrimo, & Ecclesie Argentinensis Superintendenti vigilantissimo, Domino, patri, & preceptori suo plurimum colendo.

Heidelberg.



IX.

Salutem in Servatore Christo, Reverende & clarissime vir, amice & frater colende.

ET si non dubitabam, te Defensiones meas jam vidisse, putavi tamen officii mei esse, ut ipse eas quoque ad te mitterem. Oro itaque te, tu levidense hoc munus æqui bonique consulas. Obtulit illud superioribus diebus D. Scholarchis, qui mihi visi sunt non iniquissimè ferre editionem hanc; sed quid judicaturi sint, paulò post rectius sciemus. Postularunt enim à Magistratu, ut & propter alias causas, & hanc maximè controversiam, in Rechburgeri adhuc decumbentis locum alius substituere-tur, qui vices ipsius agat, & substitutus est prætor Kettenheimius. Spero autem, D. parentem tuum prius ad nos rediturum, priusquam aliquid suscipiatur; & ut vel unam hanc ob causam reditum, quam potest, maturet, plurimum arbitror interesse Ecclesiæ. De Libri Concordiæ subscriptione nonnulla spes affulgere incipit, postquam

quam decretum est, esse Theologorum audientiam sententiam, & cum ipsis de iis impedimentis, quæ Magistratum nostrum hæcenus absterruerunt, consultandum; sed & hæc deliberatio, bono, ut arbitror, consilio ad reditum Dn. parentis rejecta est. De cæteris rebus, frater M. Ulricus, vice proluxa epistolæ erit, ideoque ipse nunc sum brevior. Unum tamen hoc addo, sententiam tuam de lege generali statuti inferenda, quam mihi legendam M. Ulricus exhibuit, vehementer mihi probari, & propter veritatem, & propter libertatem. Non autem dubito, te, dum ista scriberes, de nostra Schola multum cogitasse, quæ certè exemplis incommodorum abundat, quæ ex neglectu hujus legis oriuntur. Atque utinam DOMINUS nostri etiam aliquando misereatur, ut de religione concordēs efficiamur. Et sanè melior hac in parte nostri Magistratus esset conditio, qui jubere & præscribere posset absque contradictione cujusquam. Sed nostri nolunt; Vester Illust. Elector ab iis, à quibus minime debebat, ut video, impeditur. Bene in DOMINO, reverende vir, vale. & frater chariss. Argentor. 4. Aprilis, 1580.

Tuus frater in DOMINO

Joh. Pappus.

Inscriptio.

*Reverendo & clarissimo viro, pietate, doctrina & virtute excellenti,
D. Philippo Marbachio, S. Theologiae Doctore & Professore in
inlyta Academia Heidelbergensi, Domino, amico & fratri suo
charissimo.*

X.

(Philippo Marbachio.)

S. D. Reverende & Clarissime Vir.

ET si quotidie reditum tabellarii nostri expectabam, tamen oblata denuò certi hominis statim ad nos reversuri facultate, rursus scribendum duxi, & mittendam appendicem pagellarum de ecclesiis Græciæ & rebus Byzantinis, quam superioribus diebus Constantinopoli accepi; in qua etsi historia Regum Persicorum mihi grata est, tamen multo majori voluptate animum meum afficit, quod narrationes de ecclesiis Græciæ & Asiæ, in Oratione mea expositas, ~~veritas~~ testis asseveratione confirmari video. Scribit ad me D. Heshufus, & filium, M. Godfridum, qui Ethicam & Rhetoricam & alia, Helmstadia tradidit, & aliquoties in Disputationibus publice respondit, Electori Palatino commendari petit, ut inter artium Professores isthic locum habeat